LIBRARY
OF THE
UNIVERSITY OF ILLINOIS

INDEX LECTIONUM

QUAE AUSPICIIS

AUGUSTISSIMI AC POTENTISSIMI PRINCIPIS

GUILELMI

GERMANORUM IMPERATORIS BORUSSORUM REGIS

IN

ACADEMIA

THEOLOGICA ET PHILOSOPHICA MONASTERIENSI

PER MENSES AESTIVOS A. MDCCCLXXXII

INDE A DIE XV MENSIS APRILIS

PUBLICE PRIVATIMQUE HABEBUNTUR.

PRAEMISSA EST P. LANGENI ANALECTORUM PLAUTINORUM PART. I.

MONASTERII GUESTFALORUM.
EX TYPOGRAPHIA ACADEMICA COPPENRATHIANA.

82.

AUCTORITATE

RECTORIS ET SENATUS

CIVIBUS S. D.

PETRUS LANGEN,

LITTERARUM LATINARUM PROF. P. O.

Cum nostris diebus accuratius in Plauti sermonem inquiri coeptum esset, permulta reperta sunt vocabula, quae apud hunc poetam prima et propria significatione usurpata, apud posteriores demum scriptores sive translata sive notione aliter paulum immutata leguntur. Tali sermonis Plautini pervestigatione praeter alios viros doctos novissimos poetae interpretes Germanicos, Brixium dico et Lorenzium, optime meritos esse inter omnes constat. Horum autem potissimum virorum opera adductus de nonnullis eiusmodi vocabulis ego exposui in symbolis ad Plauti emendationem et enarrationem spectantibus, quibus pauca hac data praefandi occasione iam additurus sum.

Initium faciam a substantivo, quod est modus. Quamquam hoc vocabulum non tam propterea commemorandum putavimus, quod in eo ipso mutationem significationis deprehenderemus, quam propter vocabula ab eo derivata, quae sunt modestus modestia immodestus immodestia. Modus enim substantivum ipsum apud Plautum invenitur fere easdem significationes habere, quas postea habuit, ut indicet nostrum *Mass, Ziel, Art und Weise,* neque verum est quod Schenkelius dicit in relationum Academiae Caesareae Vindobonensis classis phil.-hist. tom. 98 p. 637 adnotat., modi singularem numerum cum adiectivo coniunctum exceptis locutionibus usitatis *aliquo alio* etc. *modo* apud Plautum semper

significare, quod est in nostra lingua *Mass*, veluti Merc. 1021 *quod bono fiat modo 'insofern es nur mit Mass geschieht'*; Rud. 912 seq. *miro mihi modo atque incredibili hic piscatus lepide evenit 'unser Fischzug ist für mich in ganz wunderbarem und unglaublichem Masse gut ausgefallen'*. Quod eo magis miror Schenkelium contendisse, cum se ex parte hoc eis exemplis cognovisse dicat, quae ego protuli in libri supra commemorati p. 111. Ibi enim allatus est etiam versus 767 Trinummi

is homo éxornetur gráphice in peregrinúm modum

et Persae 158

tum gnatám tuam
Ornátam adduce lépide in peregrinúm modum,

quae verba aliter non explicari posse apparet nisi *'nach Art und Weise eines Fremden'*.

Adiectivum vero, quod est *modestus*, propriam apud Plautum servavit significationem hanc *'Mass haltend'*; cfr. Bacch. 1079

Scio: fúi ego illa aetate ét feci illa ómnia: sed moré modesto.
'ich habe Mass gehalten im Genuss der Jugend';

Curc. 199 seqq.

PAL. *Béne monstrantum púgnis caedis, hánc amas, nugás meras.*
Hócine fieri ut ímmodestis haút[1]*) modereris móribus!*

PHAEDR. *Aúro contra cédo modestum amátorem, a me aurum áccipe;*

quod dictum esse de amatore, qui modum adhibet, ex versu qui antecedit luculentissime apparet. Non a Plauto profecta sunt verba Trin. 831 *semper mendicis* (dei) *modesti sint*, de quibus cfr. Brixius, neque Plauti videntur Merc. 48 seq.

Intémperantem nón modestum iniúrium
Trahere éxhaurire mé quod quirem ab sé domo,

quae posita sunt in parte prologi a Plauto aliena, de qua re vide Dziatzconem in mus. Rhen. XXVI, 421 et Reinhardtum in Studemundi studio-

[1]) cfr. symbol. p. 231.

rum tom. I, p. 80 disputantes. Ceterum tantum abest ut probem Ritschelii sententiam, qua putat *non modestum* esse interpretamentum vocis *intemperantem*, ut veram existimem contrariam opinionem.

Similiter voce modestiae apud Plautum semper significatur moderatio vel temperantia his exemplis: Bacch. 612 seq.

Pétulans protervo íracundo ánimo indomito incógitato
Síne modo et modéstia sum, síne bono iure átque honore;

Trin. 317

Sárta tecta túa praecepta usque hábui mea modéstia

i. e. mea continentia, quod voluptatibus non indulsi; Most. 161 seq.

O Venus venústa
Haec íllast tempestás mea, mihi quáe modestiam omnem
Detéxit, tectus quá fui,

i. e. quae me continentia exuit.

Neque adverbium modeste aliam habet vim in Persae actus tertii scaena prima, ubi postquam Saturio parasitus filiae denuntiavit, se eam venditurum, virgo patrem quod adeo intemperans sit, ut ne a filiae quidem venditione abhorreat, graviter vituperat his verbis 344 seqq.

Tua istáec potestas ést, pater: verúm tamen
Quamquám res nostrae súnt, pater, paupérculae,
Modice ét modeste méliust vitam vívere,

i. e. vivere non indulgentem ventris voluptatibus. Conferantur porro Stich. 692

Sátiust servo hominí modeste fácere sumptum quam ámpliter[1])

et Men. 970 seq.

Tergúm quam gulám, crura quám ventrem opórtet
Potióra esse, quoí cor modéste sitúmst;

quae etsi non liquet num incorrupta tradita sint, tamen de verborum sententia dubitari non potest, atque recte Brixius ‘*dessen Herzenswünsche, Triebe massvoll sind*’.

---

[1]) Ritschelium et Fleckeisenum secutus Guyeti emendationes probo.

Initium autem paullum immutatae significationis videtur inesse in Poen. V, 4, 52

Út modeste orátionem práebuit! certo háec meast

ubi significatio modi adhibendi accedit ad angustiorem notionem eam, quam nos indicamus verbo *bescheiden* i. e. ita sibi temperare, ut abstineatur a superbia et arrogantia vel factorum vel dictorum. Verum enimvero cum antea Agorastocles dixerit:

Pátrue mi, ita mé di amabunt, út ego, si sim Iúppiter
Iam hércle ego illam uxórem ducam et Iúnonem extrudám foras!
Út pudice vérba fecit, cógitate et cómmode!

versus ille 52, qui sequitur, vel ideo suspectus est, quod prorsus nihil aliud eo continetur, nisi quae antea iam dicta sunt, neque verba *certo haec meast* satis recte sententiam exprimunt eius, qui uxorem in matrimonium ducere in animo habet, sed eius, qui iam duxit ‘*das ist ganz gewiss meine Frau*’, at volebat Agorastocles dicere ‘*ich bin entschlossen, sie zu heirathen, certumst hanc uxorem ducere*’. Quare versum 52 a Plauto scriptum esse non arbitror.

Immodestum significare eum, qui sibi temperare non potest, docemur exemplo supra ex Curculione allato, immodestiam esse intemperantiam, ut omittam versum 27 prologi Mercatoris, ex Amphitruonis v. 163 Fleck. elucet:

Eri hóec inmodéstia me cō̄egit, qui hoc nóctis
A pórtu med íngratiís excitávit;

immodeste positum pro intemperanter vel sine modo invenimus Poen. I, 1, 25 *amo immodeste* et Rudentis 190 seqq.:

Nam hoc mi haúd sit labóri labórem hunc potíri,
Si me érga paréntis aut deós impiárim;
Set íd si paráte curávi ut cavérem,
Tum mi hóc indecóre, inmodéste datís, di.

Iam apud Terentium modestum interdum angustius valere, ut

indicet eum, qui temperet a superbia et arrogantia, docent praeter alia Andr. 120, ubi *voltus modestus* nominatur; Hec. 164, ubi haec leguntur:

Haec, íta uti liberáli esse ingenió decet
Pudéns modesta, incómmoda atque iniúrias
Viri ómnis ferre et tégere contumélias.

Eun. 579: *ádnuo*
Terram íntuens modéste.

Voce dispendii a dispendendi verbo ducta id significatur, quod dispenditur, vel, ut usitatiore vocabulo utar, impenditur i. e. 'sumptus Aufwand Kosten' cfr. Men. 485:

Minóre nusquam béne fui dispéndio

i. e. 'ich habe niemals mit geringeren Kosten gut gelebt'; Menaechmus enim laute et opipare ab Erotio meretrice exceptus, quod ipse antea demonstravit his verbis *prandi potavi scortum accubui* nihil omnino ipse impendit. Paullo longiore disputatione opus est ad explicandum locum qui legitur Poen. I, 1, 35 seq.:

AGOR. *Iocáre.* MILPH. *Vin tu illam hódie sine damno ét dispendió tuo*
Tuám libertam fácere?

Verba sunt Milphionis servi erum alloquentis, qui postquam Adelphasii amore captus est, nequidquam ab lenone Lyco impetrare studuit, ut eius amandae facultas sibi daretur. Summo autem amore inflammatum erum servus adiuvaturus est callido consilio dando, quo efficiatur, ut Agorastocles ipse pro lenone dominus puellae fiat ac nullo quidem sumptu facto. Haec est sententia verbis supra perscriptis expressa, quae turbata in codicibus tradita esse metro ostenditur. Constat enim scaena ex versibus senariis, inter quos versus 35 inseritur octonarius, quod ferri non posse apparet. Quare Acidalius deletis verbis *et dispendio* senarium fecit hunc:

Iocáre. Vin tu illam hódie sine damnó tuo

eumque secuti sunt editores recentiores Bothe et Geppert. Sed dupliciter eos peccavisse puto, primum quod vocabulum minus usitatum, sed multo magis lectum et aptum extruserunt, servaverunt usitatum atque tritum, deinde quod sententiam intulerunt loco minime convenientem: de damno enim, i. e. iactura, non agitur, sed de sumptu, quem Agorastocles in puellam aut impendit aut non impendit, damni autem vox etsi recte a dandi verbo derivatur, tamen iam apud Plautum non omnino sumptum, sed iacturam valet. Itaque utrumque dubitari non potest, quin et Plautus scripserit

AGOR. *Iocáre.* MILPH. *Vin tu illam hódie sine dispéndio*
Tuám libertam fácere

et verba, quae sunt *sine damno tuo*, non satis recte ad explicandam locutionem *sine dispendio* in margine primo addita postea in versum ipsum irrepserint.

Cognatas inter se esse notiones sumptus et iacturae quamquam apparet ideoque facile ab illa ad hanc transiri posse concedendum est, tamen hoc apud Plautum quidem nondum factum videmus. Idem cadit in Terentium, apud quem legimus Eun. 926 sqq.

Nam ut míttam quod ei amórem difficíllimum
Caríssimum, a meretríce amara vírginem
Quam amábat, eum conféci sine moléstia
Sine súmptu et sine dispéndio[1])

et Hec. 794 seq.

Quid est quód mihi malim quám quod huic intéllego evenire,
Ut grátiam ineat síne suo dispéndio et mihi prósit.

Conferenda denique locutio, quae est *dispendi facere: sparen, nicht aufzuwenden brauchen,* quam invenimus apud Ennium in ann. 14 V.

---

[1]) In versu primo *et* post *difficillimum* omisi Klettium secutus, qui de hoc loco disputavit in mus. Rhen. tom. XIV, 469; in versu tertio *eum* scripsi, quod Bentleius coniecit.

terraque corpus
Quae dedit, ipsa capit neque dispendi facit hilum.

Incerta est significatio dispendii substantivi in Merc. prol. 30, ubi inter multa incommoda, quae amor secum ferre solet, etiam dispendium nominatur; certius dici potest iacturam vel damnum significari in eiusdem prologi v. 47

Amórem multos ínlexe in dispéndium

sed utrumque versum a Plauto non esse scriptum consentiunt Dziatzco et Reinhardt locis supra allatis.

Dispendio contrarium est compendium, quod quis lucratur, cum sumptui parcit, 'Ersparniss'. Hanc propriam angustioremque significationem Plautus semper servavit neque unquam usus est hoc substantivo ita, ut latius pateat et indicet id, quod quis quolibet modo lucratur, *quaestum lucrum commodum Vortheil Gewinn.* Fere omnibus locis Plautinis videmus scriptam esse locutionem *aliquid compendi facere,* de qua vide Brixium ad Capt. 962 et quem ibi laudat, E. Hoffmannum in ann. philol. anni 1874 p. 556 disputantes. Exempla ipsa, quae iam attulit Lorenz ad Pseud. 1124, haec sunt:

Pseud. 1141
operam fác conpendi quaérere
Bacch. 183
Conpéndi verba múlta iam faciám tibi
Asin. 307
Vérbivelitátionem fíeri conpendí volo
Truc. 376 seq. *Si quíd tibi*
Conpéndi facere póssim, factum edepól velim
Poen. I, 2, 138
curam hanc fácere conpendí potes
Pers. 471
Nam égo hodie conpéndi feci bínos panes in dies
Most. 60
Orátionis óperam conpendí face.

Nonnullis locis paullo aliter legitur his:

Pseud. 605

Quísquis es, conpéndium ego te fácere pultandí volo

St. 194

ut faciam praéconis conpéndium

i. e. *dass ich mir den Ausrufer erspare,* sive *ich will selbst den Ausrufer spielen.*

Rud. 179 seq.

Si ad sáxum, quo capéssit, ea deorsúm cadit
Errátionis fécerit conpéndium.

Neque ad grammaticae leges neque ad metrum quadrant quae leguntur

Capt. 962

sed iam fieri dictis conpendium volo

ubi legendum esse

séd iam fieri dícta conpendí volo

exemplis supra allatis ostenditur, id quod Bothe primus vidit. Praeterea duobus locis substantivum compendii cum aliis verbis coniunctum reperimus, sed ita ut servetur significatio, quae est ‘*sparen*’; prior locus legitur Cas. III, 1, 3 seqq.

cástigare id pónito ad conpéndium;
Cáno capite, aetáte aliena eo áddito[1]) *ad conpéndium*
Quoí sit uxor, id quoque illuc pónito ad conpéndium.

Alter est Mil. 781:

Quám potis, tam vérba confer máxume ad conpéndium

‘*spare deine Worte so viel du kannst*’. Conferas velim praeterea Pacuvii fragm. 175 R.

Laméntas fletus fácere conpendí licet

et Lucilii XXIX, 37 M.

Orátionem fácere conpendí potes.

Primus scriptor, in cuius libris significatio compendii substantivi latius patet, ut sit lucrum, quod quis sibi parat, Cornificius videtur

---

[1]) Ita scripsit Buecheler in ann. philol. tom. 84, 781 pro eo quod est in libris coaddito.

esse, apud quem legimus in libri IV, 40, 52: *duae res sunt quae possunt homines ad turpe compendium commovere: inopia atque avaritia,* ubi sermonem esse apparet non de pecunia, quod quis non impendit, sed de ea, quod turpiter sibi paraturus est.

At uno loco Plautino huius disputationis veritas infringi videtur, qui est in Bacchidum actus primi scaena secunda, ubi inter se colloquuntur Lydus paedagogus antiquae severitatis et Pistoclerus adulescens, qui a callidissima meretrice voluptatis illecebris irretitus est. De toto hoc loco inde a versu 147 vide nunc disputantem Brachmannum in studiorum Lipsiensium tom. III, p. 115. Ordinem sententiarum turbatum esse cum primus sensisset Acidalius, transponendis versibus verba emendare posse sibi visus est similemque viam ingressi sunt Ritschelius eumque secutus Fleckeisenus, apud quos versus inde ab 158 hoc modo editi leguntur:

158 PIST. *Satis historiarumst.* LYD. *Hic vereri pérdidit:*
Occísus hic homost. écquid in mentémst tibi
160 *Patrém tibi esse?* PIST. *Tibi ego an tu mihi sérvos es?*
LYD. *Conpéndium edepol haút aetati optábile*
Fecísti, quom istanc náctu's inpudéntiam.
Peiór magister te ístaec docuit, nón ego.
Nimio és tu ad istas rés discipulus dócilior
165 *Quam adílla quae te dócui, ubi operam pérdidi.*
Edepól fecisti fúrtum in aetatém malum
Quom istaéc flagitia mé celavisti ét patrem.
PIST. *Istáctenus tibi, Lýde, libertás datast*
Orátionis: sátis est. sequere me hac ác tace.

In libris scripti sunt 166. 167 post 168. 169; et 159. 160 post 161. 162. Horum versuum, quos posteriore loco commemoravi, 159. 160. 161. 162 ordinem in codicibus traditum servavit Ussing hac usus defensione ut dicat, commoto animo Lydum modo secum loqui, modo adulescentem alloqui, sed non animadvertit, prorsus improbabile esse, Pistoclerum ad gravissimum probrum, quod est in versibus 158. 161. 162

nihil omnino respondere. Cum autem quod dictum est versibus 161 et 162, aliis verbis sed eadem fere sententia etiam versibus 166 et 167 exprimatur, qui novissimo tempore fabulis Plautinis emendandis operam navarunt, alterutros horum versuum ex posteriore recensione ortos esse suspicati sunt. Quod primus cum vidisset Teuffelius in mus. Rhen. tom. XXX, p. 318, neque addidisset, utram recensionem Plauti esse putaret, Seyffert in studiorum Plautinorum p. 10 et Brachmann in commentationis supra commemoratae p. 115 versus 161 et 162, qui incipiunt a verbis *conpendium edepol haut aetati* Plautinos, 166 autem et 167 post Plauti aetatem ortos esse contenderunt. Ego contra illos, qui sunt 161 et 162, a Plauto abiudicandos esse certissimis argumentis demonstrare posse mihi videor. Primum repetitio sententiarum non prorsus tollitur versibus 166 et 167 deletis, cum Lydus dicat in versu 158 *hic vereri perdidit,* id autem repetatur verbis *quom istanc nactu's inpudentiam,* tum haec ipsa verba non scripta sunt accommodate ad Plauti usum dicendi, qui nanciscendi voce plerumque utitur, si quis quid accipit, quod alius dat vel praebet, ut nancisci uxorem aquam Venerem hospitium mercedem praedam malum; impudentiam autem non dici potest quisquam Pistoclero dedisse vel praebuisse, itaque ne nancisci quidem Pistoclerus eam potuit. Neque defenduntur verba a me in suspicionem vocata exemplis Plautinis alterius significationis, quae est deprehendere aliquem sive invenire, velut Bacch. 506

Ego fáxo hau dicet náctam, quem delúserit

vel Poen. V. 5, 8

Nánctus est homínem mina quem argénti circumdúceret.

Tertium argumentum repetendum est ex notione compendii substantivi, quod hoc loco valere necesse est *lucrum quaestum commodum,* quam notionem a Plauto prorsus abhorrere supra demonstravimus. His causis adductus contendere non dubito versus 161 et 162 a poeta ipso scriptos non esse. Neque vero aeque certum iudicium facere audeo de aliis nonnullis versibus, qui hoc loco in codicibus leguntur, quamquam

Brachmann non improbabiliter v. 159 et 160 ad alteram recensionem huius loci pertinere coniecit, versus 163 164 165 autem esse alteram recensionem versuum 132 et 133. Quem si in his rebus sequimur, tali fere modo locus a Plauto scriptus videtur:

PIST. *Satis hístoriarumst.* LYD. *Híc vereri pérdidit.*
Edepól fecisti fúrtum in aetatém malum
Quom istaéc flagitia mé celavisti ét patrem.
PIST. *Istáctenus tibi, Lyde, libertás datast*
Orátionis: sátis est. sequere hac me ác tace.

De his ultimis verbis, quae scripta sunt apud Brachmannum *seque me hac ac tace,* cfr. symbol. p. 66. Si quis autem Seyffertum secutus versus 166 et 167 ideo ferendos esse non putet, quia Pistoclero probro detur potius quod flagitia sua patrem et paedagogum celaverit, quam quod commiserit, ei non multum adversabor, modo ne 161 et 162 Plautinos esse sibi persuadeat; sed tum id potius statuendum, 161 et 162 esse additamentum ad sententiam, quae inest in verbis *hic vereri perdidit* fusius exponendam atque 166 et 167 esse alteram huius additamenti recensionem. Atque nos et versibus 161. 162 et 166. 167 carere posse facile apparebit. Cum cuim Lydus paedagogus, qui antea intemperanti adulescenti molestias exhibuerat admonitionibus suis, tacere iussus esset verbis *satis historiarumst* neque obtemperaret, sed etiam severioribus verbis uteretur, quae sunt *hic vereri perdidit,* Pistoclerus quoque quae antea imperaverat, repetiit multo gravioribus verbis *istactenus tibi* e. q. s., quibus tota scaena concluditur.

LECTIONES

I. ORDINIS THEOLOGORUM.

1. Professorum ordinariorum.

AUG. BISPING Dr. 1. s. Pauli epistolas ad Thessalonicenses et ad Galatas quater per hebd. interpretabitur, 2. historiam populi Iudaici ab initio saeculi primi ante Christum usque ad excidium Hierosolimorum enarrabit ter per hebd.

IOS. SCHWANE Dr. 1. dogmaticae eam partem docebit quae continet doctrinam de sacramentis et rebus novissimis, quinquies per hebd., 2. theologiae moralis partem generalem tractabit bis per hebd., 3. theologiae moralis partem specialem ad finem perducet bis per hebd.

IOAN. HARTMANN Dr. 1. ius ecclesiasticum docere perget bis per hebd., 2. ius matrimonii tractabit ter per hebd., 3. ius bonorum ecclesiae bis terve per hebd. docebit.

2. Professoris extraordinarii.

BERN. SCHAEFER Dr. 1. historiam Israelitarum tractabit ter per hebd., 2. vaticinia messiana, quae libris V. T. et historicis et poeticis Psalmis exceptis continentur, exponet bis per hebd., 3. prophetias personales et reales V. T. explicabit bis per hebd.

3. Privatim docentium.

BERN. FECHTRUP Lic. 1. historiae ecclesiasticae partem secundam tradet quater per hebd., 2. historiam litterarum christianarum antiquarum enarrabit bis vel ter per hebd.

IOS. BAUTZ Lic. 1. theologiam apologeticam ter per hebd. tractabit, 2. introductionem in theologiam dogmaticam eiusque primam partem quae est de Deo quinquies per hebd. exponet.

II. ORDINIS PHILOSOPHORUM.

1. Professorum ordinariorum.

GUIL. HITTORF Dr. *publice* bis per hebd. de electromagnetismo, *privatim* quater per hebd. de calore disseret.

ANT. KARSCH Dr. *publice* semel per hebd. excursiones botanicas instituet, *privatim* 1. phytologiam generalem, 2. phytologiam systematicam, utramque ternis per hebd. horis docebit.

GUIL. STORCK Dr. *publice* bis per hebd. de vita et carminibus Ludovici de Camoens disseret, *privatim* grammaticam linguae Theotiscae saeculorum IX — XI docebit quater per hebd., *privatissime et gratis* exercitationes Germanicas moderabitur semel per hebd.

PETR. LANGEN Dr. *publice* 1. selectas Iuvenalis satiras interpretabitur bis per hebd., 2. in seminario philologico sodalibus ordinariis primum carminum Horatianorum librum interpretandum proponet eorumque disputandi exercitationibus praeerit bis per hebd., *privatim* praecepta Latine scribendi tradet quater per hebd.

IO. MATTH. STAHL Dr. *publice* 1. de rationibus docendi gymnasiorum disciplinae adhibendis disseret bis per hebd., 2. sodalibus seminarii philologici ordinariis ex sexto Thucydidis libro Niciae et Alcibiadis orationes interpretandas proponet eorumque disputationibus praeerit bis per hebd., 3. eiusdem seminarii sodales extraordinarios interpretandi Ciceronis pro P. Sestio oratione exercebit semel per hebd., *privatim* Aeschyli Persas interpretabitur quater per hebd.

AUG. HOSIUS Dr. *publice* palaeontologiae capita selecta tractabit bis per hebd., *privatim* mineralogiae partem priorem docebit quinquies per hebd., *privatissime et gratis* exercitationes mineralogicas et palaeontologicas moderabitur bis per hebd.

THEOD. NITSCHKE Dr. *publice* 1. excursiones botanicas semel per hebd. instituet, 2. plantarum physiologiam tractabit ter per hebd., *privatim* botanicam specialem docebit ter per hebd.

PAUL. BACHMANN Dr. *publice* 1. bis per hebd. theoriam determinantium docebit, 2. seminarium mathematicum binis per hebd. horis moderabitur, *privatim* mechanicen analyticam tractabit quater per hebd.

GID. SPICKER Dr. *publice* 1. de problematis psychologicis et metaphysicis disseret bis per hebd., 2. colloquia philosophica instituet semel per hebd., *privatim* historiam philosophiae Graecae criticam leget quater per hebd.

THEOD. LINDNER Dr. *publice* exercitationes seminarii historici moderabitur binis per hebd. horis, *privatim* historiam universalem medii aevi enarrabit quinquies per hebd.

GUST. KOERTING Dr. *publice* 1. grammaticam Provincialem docebit simulque sodalibus capita selecta ex chrestomathia Provinciali a Bartschio edita vertenda proponet bis per hebd., 2. exercitationes Francogallicas moderabitur bis per hebd., *privatim* 1. historiam litterarum Francogallicarum inde ab originibus usque ad finem saeculi XVI. enarrabit quater per hebd., 2. artis metricae et Anglicae et Francogallicae rudimenta tradet quater per hebd.

BERN. NIEHUES Dr. *publice* 1. exercitationes in seminario historico instituet bis per hebd., 2. historiae aevi recentioris partes selectas tradet bis per hebd., *privatim* historiam Romanorum antiquorum docebit quater per hebd.

RUD. STURM Dr. *publice* 1. exercitationes seminarii mathematici moderabitur binis per hebd. horis, 2. geometriam trium dimensionum tractare perget ter per hebd., *privatim* de sectionibus conicis disseret quater per hebd.

HENR. SALKOWSKI Dr. *publice* capita chemiae organicae selecta tradet bis per hebd., *privatim* chemiae anorganicae partem priorem tractabit quinquies per hebd., *privatissime* exercitationes in laboratorio chemico cottidie moderabitur.

2. Professorum extraordinariorum.

CHRIST. SCHLUETER Dr. *publice* historiam philosophiae Platonicae cum Aristotelis doctrina comparans exponet ter per hebd.

ADALB. PARMET Dr. *publice* 1. Sophoclis Philoctetam explicabit ter per hebd., 2. quas possessiones rerumque facultates veteres Graeci habuerint docebit ter per hebd., *privatim* Horatii artem poeticam interpretabitur ter per hebd.

HERM. LANDOIS Dr. *publice* excursiones zoologicas instituet, *privatim* 1. entomologiam docebit ter per hebd., 2. histologiam sive animalium anatomiam microscopicam tractabit ter per hebd.

IOS. NORDHOFF Dr. *publice* de iudiciis regiis sive occultis aget semel per hebd., *privatim* historiam artis Germanicae medii aevi enarrabit quater per hebd.

HERM. IACOBI Dr. *publice* 1. Buddhae religionem tradet bis per hebd., 2. scriptores Indicos ex optato auditorum solito more explicabit bis per hebd., 3. scholas Sanscriticas continuabit bis per hebd., *privatim* elementa linguae Sanscriticae docebit quater per hebd.

LADISL. DE OCHENKOWSKI Dr. *publice* theoriam oeconomiae docebit bis per hebd., *privatim* de pecunia et credito disseret

semel per hebd., *privatissime et gratis* exercitationes ad oeconomiam publicam pertinentes instituet semel per hebd.

GEORG. HAGEMANN Dr. *publice* historiam philosophiae recentioris inde ab Hegelii aetate tractabit ter per hebd., *privatim* 1. logicam et noëticam tradet quater per hebd., 2. metaphysicam docebit quater per hebd.

3. Privatim docentium.

GEORG. HUEFFER Dr. *publice* exercitationes historicas instituet semel per hebd., *privatim* rem diplomaticam tractabit ter per hebd.

IAC. ECKER Dr. *publice* 1. psalmos selectos interpretari perget cum verbis Hebraicis versionem Graecam et Latinam comparans semel per hebd., 2. scholas Syriacas continuabit et capita Novi Testamenti selecta explicanda proponet bis per hebd., *privatim* grammaticam Hebraicam exponere perget et prima Veteris Testamenti capita tractabit binis per hebd. horis, *privatissime et gratis* 1. scriptores Syriacos interpretabitur semel aut bis per hebd., 2. Kurani suras selectas explicare perget bis per hebd.

4. Lectorum academicorum.

IUL. O. GRIMM *publice* 1. exercitationes cantus chorici instituet semel per hebd., 2. doctrinam harmoniae exponet semel per hebd.

CAROL. DEITERS *privatim* 1. Shakespearii tragoediam „King Richard the third“ inscriptam interpretabitur bis per hebd., 2. tirones initiis grammaticae linguae Anglicae exercebit bis per hebd., 3. exercitationes practicas linguae Francogallicae instituet bis per hebd.

Disciplinarum apparatus et instituta.

Bibliotheca Paulina stato tempore patebit eiusque opes litterarum amantibus ex legum praescripto officiosissime dispensabuntur. *Anagnosterium academicum* ephemeridum litteratarum cognoscendarum opportunitatem intrantibus praebebit. *Apparatus mathematicus et astronomicus, laboratorium physicum et laboratorium chemicum, museum mineralogicum et zoologicum, collectio anatomica, hortus* denique *botanicus* naturae studiosis et curiosis lubenter aperientur, qui quidem eos viros quibus earum rerum demandata est cura rite adierint.

De seminario philologico sub nominibus profess. ord. LANGEN et STAHL dictum est, de seminario historico sub nominibus profess. ord. LINDNER et NIEHUES, de seminario mathematico sub nominibus profess. ord. BACHMANN et STURM.

SCHOLAE HORARUM ORDINE DISPOSITAE.

Significat numerus 1. diem Lunae, 2. diem Martis, 3. diem Mercurii, 4. diem Iovis, 5. diem Veneris, 6. diem Saturni; numeri I, II, III rel. auditoria significant.

Hora.	Theologicae.	Philosophicae.
7—8	SCHAEFER P. E., historia Israelit. (1. 2.) Nro. II. Idem, Vaticinia Mess. (3. 4.) Nro. II. Idem, prophetiae real. et person. (5. 6.) Nro. II.	KARSCH P. O., phytologia general. (1. 2. 3.) aud. zool. STORCK P. O., gramm. Theot. (2. 3. 4. 5.) Nro. IV. Idem, Lud. de Camoens (1. 6.) Nro. IV. HOSIUS P. O., mineralog. (1. 2. 3. 4. 5.) mus. min.
8—9	SCHWANE P. O., dogmatica (1. 2. 3. 4.) Nro. II. Idem, theol. moralis p. sp. (5. 6.) Nro. II.	KARSCH P. O., phytologia systematica (4. 5. 6.) aud. zool. STORCK P. O., exerc. Germ. (3.) Nro. IV. LANGEN P. O,, praec. Lat. scribendi (1. 2. 4. 5.) Nro. V. Idem, Iuven. sat. (6.) Nro. V. HOSIUS P. O., palaeontologia (1. 2.) mus. min. NITSCHKE P. O., botan. special. (4. 5. 6.) Nro. I. SALKOWSKI P. O., chem. anorgan. (2. 3. 4. 5. 6.) lab. chem.

SCHOLAE HORARUM ORDINE DISPOSITAE.

Hora.	Theologicae.	Philosophicae.
8—9		HAGEMANN P. E., logica et noetica (1. 2. 4. 5.) Nro. VI. Idem, methaphysica (3. 6.) Nro. VI. HUEFFER P. D., res diplomat. (3. 6.) Nro. III.
9—10	BISPING P. O., epistolae s. Pauli ad Thessal. et Gal. (1. 2. 3. 5.) Nro. III. Idem, historia pop. Iud. (4. 6.) Nro. III. HARTMANN P. O., ius bonorum eccles. (4. 6.) Nro. II.	LANGEN P. O., semin. philol. (2. 5.) Nro. I. Idem, Iuven. sat. (4.) Nro. V. NITSCHKE P. O., plantarum physiol. (4. 5. 6.) Nro. IV. LINDNER P. O., hist. medii aevi (1. 2. 3. 5. 6.) Nro. V. STURM P. O., theoria conicarum (1. 2. 4. 5.) Nro. IX. SALKOWSKI P. O., cap. sel. chem. organ. (3. 6.) lab. chem. PARMET P. E., de possess. rerumque facult. v. Graec. (1. 2. 3.) Nro. VI. Idem, Soph. Philoct. (4. 5. 6.) Nro. VI. DE OCHENKOWSKI P. E., de pecunia et credito (3.) Nro. I. HUEFFER P. D., res diplom. (4.) Nro. I.

SCHOLAE HORARUM ORDINE DISPOSITAE.

Hora.	Theologicae.	Philosophicae.
10—11	HARTMANN P. O., ius ecclesiasticum (1. 2.) Nro. II. Idem, ius matrimonii (3. 4. 6.) Nro. II. Idem, ius bonorum eccles. (5.) Nro. II.	BACHMANN P. O., theor. determin. (2. 5.) Nro. IX. SPICKER P. O., hist. philos. Graec. (1. 2. 3.) Nro. IV. NIEHUES P. O., hist. Rom. ant. (4. 5. 6.) Nro. III. STURM P. O., geom. trium dim. (1. 3. 4.) Nro. IX. SALKOWSKI P. O., exercit. pract. (1. 2. 3. 4. 5. 6.) lab. chem. PARMET P. E., Horatii ars poet. (1. 2. 3.) Nro. VI. LANDOIS P. E., entomol. (1. 3. 5.) aud. zool. Idem, histolog. (2. 4. 6.) aud. zool. HAGEMANN P. E., metaphysica (4. 5.) Nro. VI. Idem, hist. philos. rec. (1. 2. 3.) Nro. V. DEITERS L., exercit. pract. ling. Francogall. (2. 4.) Nro. I.
11—12	BISPING P. O., hist. pop. Iud. (1.) Nro. III.	STAHL P. O., Thuc. in semin. phil. (1. 4.) Nro. I.

SCHOLAE HORARUM ORDINE DISPOSITAE.

Hora.	Theologicae.	Philosophicae.
11—12	SCHWANE P. O., theol. moralis p. gen. (2. 3.) Nro. II. Idem, dogmatica (5.) Nro. II. SCHAEFER P. E., hist. Israelit. (6.) Nro. II. BAUTZ P. D., apologetica (1. 4.) Nro. II.	STAHL P. O., de rationibus docendi (2. 5.) Nro. IV. BACHMANN P. O., mechanica (2. 3. 5. 6.) Nro. IX. SPICKER P. O., hist. philos. Graec. (6.) Nro. VI. KOERTING P. O., hist. litt. Francogall. (1. 2. 4. 5.) Nro. IV. NIEHUES P. O., hist. ant. Rom. (3.) Nro. III. SALKOWSKI P. O., exerc. pract. (1. 2. 3. 4. 5. 6.) lab. chem. DEITERS L., Shakesp. king Richard III (3. 6.) Nro. I.
12—1	FECHTRUP P. D., hist. eccles. p. II. (1. 2. 3. 4.) Nro. II. Idem, hist. litterarum christ. (5. 6.) Nro. II. BAUTZ P. D., apologetica (3.) Nro. III.	HITTORF P. O., electromagnet. (1. 2.) aud. phys. Idem, de calore (3. 4. 5. 6.) aud. phys. STAHL P. O., Aesch. Pers. (1. 2. 4. 5.) Nro. IV. Idem, in semin. phil. Cic. Sest. (3.) Nro. I. KOERTING P. O., artis metricae et Angl. et Francogall. rudimenta (1. 2. 4. 5.) Nro. V.

SCHOLAE HORARUM ORDINE DISPOSITAE.

Hora.	Theologicae.	Philosophicae.
12—1		KOERTING P. O., gramm. et exercit. provincial. (3. 6.) Nro. V. SALKOWSKI P. O., exercit. pract. (1. 2. 3. 4. 5. 6.) lab. chem. NORDHOFF P. E., hist. art. Germanicae (3. 5. 6.) Nro. VII. Idem, iudicia regia. s. occulta (4.) Nro. VII. DE OCHENKOWSKI P. E., oec. publ. (1. 2.) Nro. I.
2—3		NITSCHKE P. O., excurs. botan. (4.)
3—4	BAUTZ P. D., theol. dogm. (1. 2. 3. 5. 6.) Nro. II.	KARSCH P. O., excurs. botan. (6.) NITSCHKE P. O., excurs. bot. (4.) LINDNER P. O., sem. hist. (5.) Nro. I. NIEHUES P. O., sem. hist. (4.) Nro. III. SALKOWSKI P. O., exerc.

SCHOLAE HORARUM ORDINE DISPOSITAE.

Hora.	Theologicae.	Philosophicae.
3—4		pract. (1. 2. 3. 4. 5.) lab. chem. LANDOIS P. E., excurs. zool. (4.) IACOBI P. E., el. ling. Sanscr. (1. 2. 4. 5.) Nro. VI. ECKER P. D., scholae Syr. (1. 4.) Nro. V. Idem, psalmi (2.) Nro. II.
4—5		KARSCH P. O., excurs. bot. (6.) NITSCHKE P. O., excurs. bot. (4.) BACHMANN P.O., sem. math.(1.) Nro. IX. LINDNER P. O., sem. hist. (5.) Nro. I. NIEHUES P. O., hist. aevi rec. (1. 3.) Nro. III. Idem, sem. hist. (4.) Nro. III. STURM P. O., sem. math. (3.) Nro. IX. SALKOWSKI P. O., exerc. pract. (1. 2. 3. 4. 5.) lab. chem. SCHLUETER P. E., hist. philos. Plat. (1. 3. 5.) Nro. VI.

SCHOLAE HORARUM ORDINE DISPOSITAE.

Hora.	Theologicae.	Philosophicae.
4—5		LANDOIS P. E., excurs. zool. (4.) IACOBI P. E., rel. Buddhae (2. 5.) Nro. III. ECKER P. D., script. Syriaci (5.) Nro. V. Idem, Kuranus (3. 6.) Nro. V. Idem, gramm. Hebraica (1. 4.) Nro. V.
5—6		KARSCH P. O., exerc. bot. (6.) NITSCHKE P. O., exerc. bot. (4.) BACHMANN P. O., sem. math. (1.) Nro. IX. KOERTING P. O., exerc. Francogall. (3.) Nro. V. STURM P. O., sem. math. (3.) Nro. IX. SALKOWSKI P. O., exerc. pract. (1. 2. 3. 4. 5.) lab. chem. LANDOIS P. E., exerc. zool. (4.) NORDHOFF P. E., hist. art. Germ. (3.) Nro. VII.

3 0112 126255402

SCHOLAE HORARUM ORDINE DISPOSITAE.

Hora.	Theologicae.	Philosophicae.
6—7		KARSCH P. O., excurs. bot. (6.) NITSCHKE P. O., excurs. bot. (4.) KOERTING P. O., exercit. Francogall. (3.) Nro. V. LANDOIS P. E., excurs. zool. (4.) DE OCHENKOWSKI P. E., exerc. oec. publ. (1.) Nro. I.
7—8		KARSCH P. O., excurs. bot. (6.) NITSCHKE P. O., excurs. bot. (4.) LANDOIS P. E., excurs. zool. (4.)

HORIS POSTEA INDICANDIS.

HOSIUS P. O., exercit. min. et palaeont. bis p. h.
SPICKER P. O., de problematis psychol. et metaphys. bis p. h.
Idem, exercit. philos. semel p. h.
IACOBI P. E., scholae Sanscrit. bis p. h.
Idem, scriptores Indic. bis p. h.
HUEFFER P. D., exercit. histor. semel p. h.
DEITERS L., init. gramm. ling. Angl. bis p. h.
GRIMM L., doctrina de harmonia semel p. h.
Idem, exerc. cantus chor. semel p. h.